

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1154 - 1155

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

modum vero obnixius fratres eidem cenobio servientes deprecatus est, ut, quam diu
 vellet vel quam diu viveret, ipsorum concessione quartam partem mansi cum ad se
 jure spectantibus pari equitatis tenore, sicut et primitus, possideret singulisque
 annis in festo prefati sancti ob dispositionis memoriam stabiliendam denarium
 5 deferret ac eo moriente in usum ecclesie, nullo resultante juncto sibi aliqua san-
 guinis affinitate, deinceps libere transiret. que postquam a fratribus unanimi voto
 annuentibus, prout petiit, impetravit, agens demum, quatenus firme ac stabili sub-
 scriptioni et pontificis Burcardi sigilli roborationi^a commendaretur, ne facile a
 memoria tam presentium quam subsequendum, aliqua [se]^b ingerente occupationis
 10 causa, laberetur. ut autem hec subscriptionis carta firma et inconvulsa omni perma-
 neat evo, testes, qui huic donationi interfuerunt, congruenti ordine subscribo:
 Symon, Adelbertus, Waltherus et Fridericus fratres, Johannes, Udalricus burgenses;
 Arnoldus prepositus, Wolfgangus, Adelgotus, Bertholdus, Adelbertus, Cunradus
 sacerdotes hujus cenobii; Heinricus, Wortwinus dyaconi; Metfridus, Cunradus,
 15 Welcho layci. acta sunt autem anno incarnationis domini 1154, indictione 2,
 epacta 4, concurrente 4, Friderico rege Romanorum feliciter imperante, Burcardo,
 qui sigilli impressione obmunivit, cathedram Argentinensem strenue gubernante,
 Hugone prefecturam amministrante, Heinrico de Stulingen ecclesie sancte Marie
 canonico creditore super villam memoratam existente et predicti ejusdem fratres.

Juli 21

20 *H aus Straßb. Hosp. A. prot. 7383 cod. chart. sec. XV p. 5^a.*

105. *Bischof Burchard von Straßburg beurkundet einen zwischen dem Kloster Mauersmünster und der Probstei St. Peter gemachten Tausch eines viertel mansus bei Olwisheim mit einem Hofe in der Stadt Straßburg. 1155 Straßburg bei Jung St. Peter.*

25 In nomine sanctæ et individue trinitatis. Burchardus dei gratia sanctæ Argen-
 tinensis ecclesie episcopus omnibus Christianæ fidei cultoribus tam futuris quam
 presentibus. gratia vobis et pax multiplicetur. notum facimus tam futuris quam
 presentibus cambium, quod factum est inter abbatiam Maurimonasterii ejusque
 abbatem Conradum et inter præposituram beati Petri apostoli ejusque præpositum
 30 Herbertum^c per liberos advocatos Ottonem Maurimonasterii et Cunonem advo-
 catum ecclesie beati Petri apostoli consensu monachorum et canonicorum, peti-
 tionibus familie utriusque ecclesie. canonicus quidam ecclesie beati Petri apostoli
 Bernhardus nomine contulit cœnobio sancti Martini Maurimonasterii curiam unam
 pro remedio anime sue, quam hereditario jure a beati Petri ecclesia possederat.
 35 quique Bernhardus postmodum, cum ægrotaret, licentia prælati sui et fratrum
 suorum assensu habitum monachicum suscepit ac Maurimonasterium deductus ibi
 sepultus requiescit. post ejus vero obitum, cum quærimonia canonicorum de ipsa
 haberetur curia, abbas communicato cum suis consilio pro eadem libera ipsorum
 curia tradidit eis liberum ecclesie sue allodium quadrantem scilicet mansi apud

40 a) *H* roboratione. b) *H* offenbar corrumpt : que. c) Weiterhin richtiger Hartbertus geschrieben.